



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Annales Heremi Dei Parae Matris Monasterii In Helvetia Ordinis S. Benedicti**

**Hartmann, Christoph**

**Friburgi Brisgouiae, 1612**

Nicolavs I. Ex Baronibvs A Gvottenbvrgo Abbas Heremitarvm. XXV.  
Princeps Imperii Octavvs.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38545**



NICOLAUS I. EX BARONIBVS A GVOTTEN.

BVRGO ABBAS HEREMITARVM. XXV. PRINCEPS IMPERII OCTAVVS.



VM in Heluetia agit Dux Rudolfus apud Campum Regis, Tiguri, Rapersuillæ, insita principum Austriae pietate, & aduersus Heremitas favore, & propensione, publicæque rei, & maxime ad Heremum peregrinantium bono, & commodo, pontem Rapersuillensem, qui ab opido ad Hurdam vsque vicum altera siue sinistra ripa, per passus mille nongentos circiter supra lacum Tigurinum protenditur postero die D. Ioannis Baptistæ anni octauæ & quinquagesimi fabricare incipit.

A.D. M.  
CII. CCC  
LVIII.

Multi



Multi in eo edificio architecti adhibiti qui aquas mensurarent, lineas ducerent, palorum interualla disponerent. Opus planè regium, & Austriaco principe dignum. Antea lintibus & phaselis ea per transmittebatur. Sed plerumque ex occurfu ibidem ventorum superioris, & inferioris lacus, vnde ita inturgescebant, tumultuabanturque, vt omnem transitum sæpius prohiberent, pluresque quandoque per dies Raperuillæ, aut rursus Hurdæ peregrinantes, magno eorum dispendio, & tædio continerent, quibus pons hic in posterum remedio, & solatio fuit. Decimo Kalend. Augusti sequentis, obiit Viennæ dux Albertus cognomento ab ingenij præstantia, & experientia rerum Sapiens: & ex corporis ægritudine Contractus, vltimus filiorum Alberti regis. Reliquit filios Rudolfum, de quo diximus, Fridericum, Albertum, & Leopoldum. Rudolfo vt seniori regimen obuenerit optimo principi. Proximo Septembri vendiderunt Austriacis principibus Ioannes, Rudolfus, & Gotfridus fratres Habsburgi Comites, & Domini Lauffenbergæ Comitatum veteris Raperuillæ, Marchiam, Vallem Vegi, & quidquid sinistra Lindemagi flu. & lacus Tigurini juris & dominij obtinebant. Pleraque erant Heremitarum feuda, & beneficia. Anno sequenti Carolus Imper. Maguntiaci cum archiepiscopis tribus Treuirensi, Colonienfi, & Maguntiacensi colloquium habuit super luxu, & dissolutione ordinis Ecclesiastici, haut magno profectu, licet etiam adfuerit legatus Apostolicus. Austriaci, & Tigurini fœdus in septennium inter se concluderunt. Anno sexagesimo post trecentimum Rudolfus dux Austriæ Gotfridum Mulnerum equitem Tigurinum, qui præfectus Raperuillæ tunc erat, Glaronensibus præsidere iussit, Marchiæ vtrique, & illis adiunctis, vi. Kal. Martij. Eodem tempore, obiit Hartmannus ex Baronibus à Bonstette qui ex Heremo adscitus, S. Gallo annos xxvi. menses v. præfederat. Successorem habuit apud S. Gallum Georgium ex Baronibus à Vvildenstein. Henricus episcopus veneratione peculiari erga DEIPARAM, quia eiusdem apud nostros sacerdos Sacelli sacratissimi non eodem, quo loci merc-

batur ce-

A. D. N.

CL. CCC.

LIX.

A. D. N.

CL.

CCC.

LX.



batur celebritas, salario fruebatur, eidem Sacello parocciam Vangæ vicinam, & parum frequentem annexuit, vniuitque, & quidquid eius redditus est, sacerdoti Sacelli virginei attribuit, consentiente inprimis Abbate Nicolao, parocciæ patrono, & eius Collegio vniuerso. Eius rei factum Constantiæ Instrumentum feria 1 v. ante festum S. Nicolai. Indictione xii. Cuius priuilegij hæc pauca, quia ad laudem & frequentiam Heremitanæ Sacelli faciunt, interferenda putauit.

*HEINRICVS DEI GRATIA Episcopus Constantiensis, totumq; Capitulum Ecclesie Constantiensis vniuersis tam presentibus, quam futuris ad quos presentes literæ peruenierint, salutem in eo qui est omnium vera salus. Cum per visitationem personalem certo certius nobis constiterit, Quod licet Capella sanctæ MARIÆ sita in Monasterio sanctæ MARIÆ loci Heremitarum nostræ diocesis sit & fuerit multis retro actis temporibus locus deuotissimus, & per homines diuersarum prouinciarum, tamquam locus propitiationis, in honore beatissimæ Virginis MARIÆ consecratus, ab antiquo frequentari consueuerit, Nihilominus tamen dicta Capella redditus non habet, de quibus sacerdos honestus dictam Capellam inofficians commode valeat enutriri, prout hæc omnia nobis constant, quoniam de Abbatia dicti Monasterij, cui per multos annos presuimus, ad Ecclesiam nostram Constantiensem assumpti fueramus. Cum autem Ecclesia parochialis in Vuangen adeo sit vicina Monasterio dictæ Capellæ quod sacerdos dictam Capellam inofficians eidem Ecclesie, maxime cum paucos habeat subditos, in diuinis officijs commode præesse valeat & prodesse. Igitur. etc.*

A. D. N.

CL. CCC.

LXI.

A. D. N.

CL. CCC.

LXII.

ANNO sexagesimo primo præfecit dux Rudolfus Rapersvillæ Ioannem à Langenhard nobilem Turgouiensem. Anno sexagesimo secundo ineunte Ioannem Episcopum Gurcensem suum Cancellarium suo, & fratrum nomine gubernatorem generalem, plena potestate, constituit per Sueuiam, Elfatiam, Sequanos, Ergouia, Turgouiam, Glaronam,

Harciniam,



Harciniam, omnesque superiores Germaniæ prouincias Au-  
 striæ Domui subiectas eius administrationi attribuit feria II.  
 post festum D. Blasij. Fecerunt eodem mense Februario fœ-  
 dus in Caroli vitam, & post eam duraturum biennium vrbes  
 Constantia, Tigurum, S. Galli, Lindaugia, Rauesburgum,  
 Vberlinga, Vanga, Buochornum, Pfullendorffium vigilia D.  
 Matthiæ. At Carolus cum Constantiam venisset, cum Ti-  
 gurinis singulare fœdus iniit, Dominica post festum diem  
 eiusdem B. Apostoli. Hieme longa, & sæua totus Tigurinus  
 lacus glacie concreuit, præbuitque carris, etiam onustis fe-  
 curum iter. ad xv. Kalend. MaI. quo die colliquere sensim  
 glacies cum capisset, postridie, omnibus attonitis quo tanta  
 moles diffluxisset, nihil eius adparuit, lacu vndique libero,  
 & soluto. Longitudine hiemis, & præteritæ æstatis æstu  
 intolerabili, pabuli vndique nata ingens inopia. Postea eti-  
 am pecudum fœda mortalitas, & inde omnium pene re-  
 rum maxima penuria, quæ haut paucos quoque mortales  
 ad extrema adegit. Hæc, & alia mala, super præterita tot  
 annorum bella, quibus damnum maximum acceperant, in-  
 gentes sumtus fecerant, grande æs alienum Heremitæ con-  
 flauerant, Nicolaum abbatem, & Collegium perpulere o-  
 pem, & remedium ab Heinrico episcopo petendi. Is longa  
 cum suis disputatione, simul & commiseratione, postremo,  
 cum aliud opportunius non occurreret, parochialem Eccle-  
 siam in Stefe suæ Diœcesis, cuius ius patronatus abbatis erat,  
 mensæ abbatis, & totius Collegij vniuit, & in perpetuum ad-  
 nexuit, ea conditione, vt decedente eo, qui tum præside-  
 bat, rector, eius redditibus, decumis, & ceteris commodis  
 vt, frui possent, Vicario qui Ecclesiæ ministret substituto.  
 Actum Constantiæ xvii. Kalend. Octobris, Indict. xv.  
 hoc anno.

Vniuit idem Henricus etiam parochialem Ecclesiam  
 Vfnauigiæ Monasterio, eodem anno, loco, & die atque ijs-  
 dem de causis. Incipit enim. *Henricus Dei gratiâ epi-  
 scopus Constantiensis honorandis, & relligiosis in Christo ab-  
 bati, & conuentui Monasterij loci Heremitarum ordinis*

S. Bene-



S. Benedicti nostræ Constantiensis diœcesis, ac vniuersis aliis præsentibus literas intuentibus salutem, & sinceram in Domino charitatem, ac præsentibus dare fidem. Vestre honorandis in Christo abbatis, & Conuentus Monasterij loci Heremitarum Ordinis sancti Benedicti nostræ diœcesis deuotionis sinceritas diuinis laudibus sub religionis obseruantia dedicata, quam ad bonum propositum, & vestre religionis obseruantiam & perseverantiam geritis, promeretur, ut illo vos fauore, auxilio, & gratia prosequamur, per qua vestris, & Monasterij vestri necessitatibus valeatis prouidere. Sane petito pro parte vestra nobis nuper exhibita continebat: Quod vestrum Monasterium multis oneribus debitorum est prægrauatum, vosq; propter exercitus, & guerras, frugum sterilitatem, hominum eiusdem monasterij pestilentiam quam plurima damna in bonis, & rebus passi estis, propter qua fructus, redditus, & prouentus dicti monasterij adeo sunt diminuti, quod exinde commode sustentari, hospitalitatem tenere, & alia incubentia vobis onera supportare non potestis. Quare, &c.

Ad hospitalitatem quod pertinet, quanti etiam nunc sumtus fiant in accipiendis aduenis, & religionis, voti que causa Virgineum Sacellum inuisentibus, & pro cuiusque conditione, & dignatione pertractandis, expensorum rationes quotannis testantur, & manifestè demonstrant.

A. D. N.

CLV. CCC.

LXIII.

Pridie eidus Octobris eiusdem anni obiit Innocentius VI. Lectus pontifex III. Kal. mensis insequenti Urbanus V. nostri ordinis. Præfedit annos VII. Vere adulto anni sexagesimi tertij, venit in Germaniam superiorem dux Rudolfus, Nicolaoque abbati, suo & fratrum nomine, peculiari quoque sua gratia & fauentia priuilegium dedit, Ne præfectus, senatus, & ciues sui Rapersvillani, eius abbatis, & successorum domus, quam habent Rapersvillæ, causa, & nomine, aut familiarium, & officialium, quicumque sint, aut fuerint, collectas, vigilias, & quæcumque huiusmodi onera sunt, aut erunt, in posterum exigant: Neminem in eius domo invadant, aut sequestrent cuiuscumque rei, aut debiti causa,

crimine



crimine capitali excepto. Si tamen idem abbas, aut alius  
 successorum eandem domum vendiderit, aut cuiquam lo-  
 cauerit, qui mercimonia, aut publicum hospitium in ea ex-  
 erceat, capitis, & bonorum tributa, aliorum ciuium more  
 præstabit, neque inuasionis, aut sequestrationis gratia, aut  
 beneficio amplius fruatur. In damnum quoque, & detri-  
 mentum portorij ex trajectu Hurdensi, qui beneficio pontis  
 nostris inutilis euaserat, vectigalium omnium Raperfuillæ,  
 & apud pontem gratiam fecit: ita ut nec ipse, nec successo-  
 res, officiales, serui, & familiares ijs in perpetuum tenean-  
 tur, sed ab ijs personæ omnes Monasterio adnexæ & bona  
 vniuersa immunia sint. Datum priuilegium Badæ per ma-  
 num Ioannis Gurcensis Episcopi, sui Cancellarij, & per Sue-  
 uiam, & Elsatiam præfecti, feria vi. exeuntis Mal. hoc an-  
 no. Ex quo priuilegio manifestum Nicolaum hoc tempore  
 Heremo præfedisse, non, qui secutus est, Marquardum. An-  
 no sexagesimo quarto Idibus Iunij obiit apud Campum re-  
 gis monasterium à se pene regia magnificentia exstructum  
 Agnes Austriaca Andree III. Hungariæ quondam regis vi-  
 dua, viduitatis anno quarto & sexagesimo: vltima libe-  
 ræ Alberti regis. xii. Kal. Septemb. sequenti anno iterum in  
 has regiones concesserunt locustæ tanta in cælo densitate, ut  
 nubis crassioris instar solis aspectum obuclarent. Absumse-  
 runt frumenta, legumina, quæ supererant, frondes, grami-  
 na, detrimento incredibili. Vnde rursus annonæ ingens  
 caritas, & multæ pene vbique miseræ. Anno Sexagesi-  
 mo quinto, quarto Idus Martij vita defunctus abbas  
 Nicolaus. Princeps Heremi nominatus omni-  
 um suffragijs Marquardus ex baronibus à  
 Grueninberg, qui tum Præpositu-  
 ram Faræ obtinebat,

A. D. N.

CIC. CCC.  
LXIV.

A. D. N.

CIC. CCC.  
LXV.

G g

MAR-